

Pietro CIRNEO
(1447 – c. 1506)

1

Interea Bradolacius...

Interea Bradolacius ortus Casaconi, cum quatuor sociis, latrociniis et insidiis omnia cis montes, præcipue in Genuenses, infestabat, quos non solum spoliabat, sed etiam interficiebat. Fuerat tortus Bradolacius ab Michaelæ Germano Episcopo Maranensi ; patria erat Genuensis. Quamobrem tanto odio in Genuenses exarserat, ut quos poterat interficeret. Et quia Genuenses, audito Bradolacii odio in eos, vestibus Corsorum induebantur, ac lingua Corsa conabantur loqui, et se Corsos esse asserebant. Idcirco dum eos offendebat, sciscitabatur, an essent Genuenses ; illi negare. *Dic ergo, inquit, CAPRAM, ut cognoscere possim, utrum sis Corsus, an Genuensis.* Et *Cravam* (Genuenses enim Capram exprimere non valent) cum dicerent, statim ab eo transfigebantur. Quare Genuenses non audebant iter facere per insulam sine præsidio saltem quinquaginta armatorum. Tanta erat pernicitas, ut fertur, Bradolacii, ut neque pedites, neque equites possent eum consequi : qua fretus pernicitate in multos etiam armatos adoriebatur, ex quibus aliquot transfixis capiebat fugam. Quamobrem Genuenses per edictum præmia illis proposuerunt, qui Bradolacium reum læsæ Majestatis, vel vivum, vel mortuum, in suam potestatem redegerent.

Ricciatu da CYRNAEI Petri, *De rebus Corsicis*, in *Rerum Italicarum Scriptores*, t.XXIV, Lodovico Antonio Muratori, Mediolani, 1738, p.474-475.